

quandoque versari circa *veritatem* ipsam, quae enuntiat; quandoque autem circa ipsam, ut ita dicam, *enuntiabilitatem*. Primum contingit in iis, quae immediatae intuitioni sive experimentalī, sive intellectuali subiiciuntur, vel inde evidenter deducuntur. Haec dicitur *evidentia veritatis*, quia in rebus huiusmodi ipsa veritas, seu identitas vel discrepantia subiectum inter et praedicatum, mentis visioni fit praesens, et nulla opus est motione voluntatis ut intellectus ad assensum determinetur [291]. Alterum contingit, quoties ipsa veritas, quae enuntiat, in se quidem mentis intuitioni non patet, menti tamen praesto est motivum, quod se ostendit dignum esse, ut propter ipsum veritas affirmetur, tametsi in se ipsa minime pateat. Quando hoc evenit, necessario requiritur imperium ex parte voluntatis, quo intellectus determinetur ad assensum adhibendum, non quidem motivo ipsi, cuius dignitas seu meritum evidenter elucet, sed ipsi veritati, quae propter tale motivum meretur assensum. Hic porro assensus tali motivo respondens potest esse opinativus vel certus, pro eo quod formidinem per se admittit vel escludit. In prima hypothesis habetur *evidentia probabilitatis*: motivum enim mere probabile meretur quidem assensum, sed opinativum tantum [235]. Sin vero assensus, quem tale motivum meretur, sit certus, *evidentia* habetur *credibilitatis*. *Credere* enim tum proprie intellectus dicitur, quando sub voluntatis imperio totaliter seu firmiter obiecto adhaeret. Ad rem S. Thomas, "Quandoque intellectus possibilis determinatur ad hoc, quod *totaliter* adhaereat uni parti (h. e. contradictionis): sed hoc est quandoque ab intelligibili, quandoque a voluntate. Ab intelligibili quidem quandoque mediate, quandoque immediate.... Quandoque vero intellectus non potest determinari ad alteram partem contradictionis, neque statim per ipsas definitiones terminorum, sicut in principiis, nec etiam virtute principiorum, sicut in conclusionibus demonstrativis est; determinatur autem per voluntatem, quae eligit assentire uni parti determinate et *praecise* propter aliquid, quod est sufficiens ad movendum voluntatem, non

autem ad movendum intellectum, utpote quod videtur bonum vel conveniens huic parti assentire: et ista est dispositio credentis, ut cum aliquis credit dictis alicuius hominis, quia videtur decens vel utile." (Qq. Disp. Verit. q. 14. a. 1.) Ceterum haec melius patebunt ex iis quae mox dicturi sumus (1).

SECTIO VI.

Quo pacto evidentia naturalis criterium sit humanae certitudinis.

298. *Praenotandum.* — Quoniam in praesenti philosophos agimus, quae in hac sectione dicemus intelligi debent, prout in eius titulo notatur, de *certitudine humana*, quae videlicet conaturalis est humanae naturae, utpote causata ex principiis eiusdem. Quid vero sentendam de *supernaturali* certitudine fidei divinae, quaestio est theologica. Porro duabus conclusionibus mox declarandis propositam quaestionem sic resolvimus.

(1) Usum loquendi quod spectat, sedulo hic notare oportet, evidentiam *credibilitatis* minime hoc loco confundi debere cum ea, quae exurgit ex extrinseci testimonii auctoritate: haec enim saepe numero parit evidentiam, non credibilitatem, sed veritatem. Nampe nomen *credibilitatis* in re praesenti non ducitur aliqual. Credere porro aliqual, ut ex allato testimonio Doctoris Angelici manifeste patet, etsi saepe contingit in iis, quae extrinseca auctoritate fulcuntur, optime tamen haberi potest ex motivis etiam intrinsecis, quando nimirum is non potest menti ipsa veritas, quae creditur, sed solum *dignitas* ut creditur. Quare communi loquendi more theologorum, rationes omnes, quibus ostenditur sacrosanctam nostram religionem esse unice credendam, vocantur *motiva credibilitatis*, tametsi multae dicantur ex locis non extrinsecis, sed intrinsecis. Ceterum haec melius patebunt ex iis quae paulo inferius ex mente Angelici explicabimus.

THESIS IX.

Obiectum evidenter apparens menti cum necessario ad se trahit et ad assensum determinat. Hinc I. Impossibilis est dissensus quoad prima intelligentiae principia, quae axiomata dicuntur. II. Cognita bonitate illationis, mens nequit non assentiri conclusioni quae evidenter connectitur cum praemissis evidentibus.

299. *Probatur I. pars.* — Haec probatio iam supra indicata fuit [227], quam paulo latius modo sic proponimus. Intellectus enim necessario cogitur ad assentiendum obiecto, quod ei perfecte applicatur. Atqui obiectum perfecte applicatur menti, mediante evidentia. Ergo ab obiecto evidenter proposito necessario trahitur et ad assensum determinatur.

Prob. maior. Omnis enim causa necessaria, h. e. non libere agens, nequit suam operationem non exercere, positis omnibus ad agendum requisitis; et in hoc praecise differt a causa libera. Atqui intellectus est causa necessaria, secus ac voluntas; praerequisita autem ad assensum ponuntur praecise per hoc quod obiectum ei perfecte applicetur. Ergo necessario determinatur ad assensum erga obiectum perfecte ei applicatum.

Prob. minor. Nam obiectum applicatur menti per hoc quod ei manifestetur. Perfecta autem manifestatio obiecti intellectui fit mediante evidentia, ut patet ex dictis in praecedenti sectione. Ergo mediante evidentia obiectum perfecte applicatur menti.

Confirmantur haec omnia experientia. Dicimus enim nos cogi ab evidentia, cedere evidentiae, evidentiam insilire in oculos, nolentem convincere: quibus loquendi modis exprimimus, nos necessario determinari ad assensum adhibendum iis, quae evidenter patent. Hinc omnes declina-

mus onus demonstrandi aliquid, quia ratione evidentiae, qua gaudet, non eget demonstratione. Unde illud Tullii (*Acad.* lib. 3.): "Necesse est, ut libram ponderibus impositis deprimi, ita animum perspicuis cedere: quibus verbis pulchre indicatur ratio ipsa a nobis allata."

Obiicies. Intellectus substat imperio voluntatis. Ergo poterit vel dissentire vel saltem assensum suspendere in rebus evidentibus, non quidem ex se, sed ex voluntatis motione.

Respondeo. *Dist. antec.* Intellectus substat imperio voluntatis *indirecte*, quatenus est in potestate voluntatis eum applicare vel non applicare ad considerandum, vel ad considerandum unum obiectum prae alio, *conc.*; intellectus substat imperio voluntatis *directe*, quatenus ab hoc imperio determinetur immediate ad intellectionis actum, *subd.*; in re mere percipienda, *neg.*; in hoc quod rei perceptae assentiat vel non assentiat, *versus dist.*; in iis quae patent evidenter, *neg.*; in aliis, *conc.* Quartaumque sit influentia voluntatis in intellectum, ea tamen non usque eo progreditur, ut natura intellectus corrumpatur; id vero accideret, propter rationem adductam, si intellectus vel dissentiret vel assensum cohereret in rebus evidentibus. In quo vero posita sit efficacia voluntatis in intellectum, sic nitide exponitur a S. Thoma, cuius doctrinam in allata distinctione expressimus. "Actus, inquit, rationis potest considerari dupliciter. Uno modo, quoad exercitium actus, ut cum indicitur alicui, ut attendat, et ratione utatur; et sic potest imperari actus rationis. Alio modo, quantum ad obiectum, respectu cuius duo actus rationis attenduntur. Primo quidem, ut veritatem circa aliquid apprehendat; et hoc non est in potestate nostra: hoc enim contingit per virtutem alicuius luminis vel naturalis vel supernaturalis; et ideo quantum ad hoc actus rationis non est in potestate nostra. Alius autem actus rationis est, dum his, quae apprehendit, assentit. Si igitur fuerint talia apprehensa, quibus naturaliter intellectus assentiat, sicut prima principia, assensus talium vel dissensus non est in potestate nostra, sed in ordine naturae. Sunt autem

quaedam apprehensa, quae non adeo convincunt intellectum, quin possit assentire vel dissentire, vel saltem assensum et dissensum suspendere propter aliquam causam: et in talibus assensus ipse vel dissensus in potestate nostra est. (Summa th. 1. 2^{ae} q. 17. a. 6.)

300. *Probatur II. pars.* — Sequitur manifeste ex praecedentibus. Veritas enim in his axiomatibus statim cluget ex immediata comparatione primordialium conceptuum communium, quae in humana mente efflorescunt, puta *entis, unius*, et similibus [270]. Quocirca in talibus mens vel nullo modo apprehendit terminos, v. gr. in somno, vel si apprehendit necessario iudicat eorundem compositionem vel divisionem esse veram. Iam vero nemo dissentit alicui enuntiabili, nisi apprehendat eius terminos. Ergo impossibilis est dissensus quoad veritatem primorum principiorum, quae *axiomata* dicuntur. Hinc egregia illa sententia Angelici: "Proprium est horum principiorum, quod non solum necesse est ea per se vera esse, sed etiam necesse est videri, quod sint per se vera. Nullus enim potest per se opinari contrarium eorum." Et paulo inferius: "Nihil est adeo verum quin voce possit negari. Nam et hoc principium notissimum, quod *non contingat idem esse et non esse*, quidam ore negaverunt. Quaedam vero adeo vera sunt, quod eorum opposita intellectu capi non possunt: et ideo in interiori ratione eis obviare non potest, sed solum exteriori, quae est per vocem. Et huiusmodi sunt communes animi conceptiones." (1. *Poster. Analyt.* lect. 19.)

301. *Probatur III. pars.* — Ducitur etiam ex dictis. Si enim veritas conclusionis *evidenter* connectitur cum praemissis *evidentibus*, ipsa quoque evadit evidens. Mens autem a vero evidenti resillire nequit. Neque obstat, quod talis evidentia non sit immediata, ut in axiomatibus, sed mediata. Quanquam enim evidentia mediata cedat immediatae, est tamen et ipsa veri nominis evidentia, ac propterea, ut talis, necessario mentem cogit ad assensum: quemadmodum in corporalibus non modo necessario videntur, quae sunt per se lucida, sed etiam ea, quae lucem

ab aliis mutantur. Apposite rursus S. Thomas. "Sunt quaedam intelligibilia, quae non habent necessariam connexionem ad prima principia, sicut contingentes propositiones, ad quarum remotionem non sequitur remotio primorum principiorum: et talibus non ex necessitate assentit intellectus. Quaedam autem propositiones sunt necessariae, quae habent connexionem necessariam cum primis principiis, sicut conclusiones demonstrabiles, ad quarum remotionem sequitur remotio primorum principiorum: et his intellectus ex necessitate assentit, cognita connexionem necessaria conclusionum ad principia per demonstrationis deductionem. Non autem ex necessitate assentit, antequam huiusmodi necessitatem connexionis per demonstrationem cognoscat." (Summa th. 1. p. q. 82. a. 2.) (1)

302. *Corollarium.* — Evidentia recte declarari potest ex praedicta necessitate, quam inducit ad assensum. Haec tamen necessitas non est id, quod ipsam evidentiae rationem constituit, sed eius effectus connaturalis. Ceterum, cum huiusmodi conceptus simplicissimi, quique immediata experientia constant, solent saepe a posteriori describi, hinc recte, praeter descriptionem evidentiae supra traditam [291], poterit sic etiam describi: *Evidentia est intelligibilis perspicuitas veritatis, quae ita se manifestat menti, ut eam necessario ad assensum determinet, nec sinat de opposito formidare.* Ex quo patet formidinem nullam nec prudentem, nec imprudentem, cum assensu evidenti, quatenus est evidens, coniungi unquam posse.

(1) Consulto dixi, si conclusio *evidenter* connectitur cum praemissis *evidentibus*. Si enim consequentia sit mere probabilis, aut si praemissae opinative dumtaxat teneantur vel credantur, intellectus tali modo assentiens praemissis non necessario cogitur ad assentiendum conclusioni. Ratio est, quia in tali casu *veritas* conclusionis non est evidens. Hinc S. Thomas loco citato dixit, intellectum non ex necessitate assentire conclusioni antequam eius connexionem cum primis principiis per demonstrationem cognoscat. Cf. J. B. De Br. vinctis. *Philos. Peripat.* tom. 1. lib. 4. q. 1. c. 5. § 2.)

THESIS X.

Datur certitudo veri nominis, quae non ex ipsa evidētia veritatis, quae certa dicitur, sed ex libera voluntatis electione determinatur proximē et directe, praesupposita tamen evidētia proprie dictae credibilitatis.

303. **Declaratio.** — Notionem certitudinis, ac evidētiaē credibilitatis supra declaravimus [223, 297]: quare hic non est sermo de iudicio mere opinativo, qui simplici probabilitate nitatur. Praeterea supponi debet, quod pluries iam monuimus, intellectus, sicut et ceteras animi facultates, ex voluntatis imperio saepe ad proprios actus moveri et applicari. Ratio est, quam pulchre sic declarat S. Thomas: * Utinur, ait, aliis potentiis cum volumus. Nam fines et perfectiones aliarum potentiarum comprehenduntur sub obiecto voluntatis, sicut quaedam particularia bona. Semper autem ars vel potentia, ad quam pertinet finis universalis, movet ad agendum artem vel potentiam, ad quam pertinet finis particularis sub illo generali comprehensus. » (*Summa th.* 1. 2^{ae} q. 9. a. 1.) Iam age, intellectus in iudicando dupliciter movetur a voluntate, *indirecte* videlicet seu *mediate*, ac *proximē* seu *directe* [259, 298]. Primo modo subditur voluntati etiam in evidētib, quatenus ab ea applicatur ad perpendenda motiva, quibus consideratis, ab eorumdem evidētia ad iudicandum determinatur. Alio modo voluntati subiacet in rebus obscuris. In talibus enim, modo ratio vel species aliqua veri appareat, potest ex voluntatis motione determinari ad amplectendam unam partem contradictionis prae alia. Immo talis determinatio ex voluntate proveniens necessario requiritur in omni assensu vel dissensu inevidenti. Intellectus enim nequit semetipsum determinare in talibus, cum non sit facultas libera: nec etiam determinatur ab intel-

ligibili, quia supponitur inevidens. Ergo relinquitur determinatio in potestate voluntatis. In praesenti, ut patet ex thesis enuntiatione, loquimur de iudicio certo, quod sub voluntatis directae motione ab intellectu eliciatur, quale videlicet supra descripsimus cum S. Thoma [297].

304. **Probatio thesis.** — Hac explicatione supposita, en ratio praeiacetae propositionis. Prout quotidiana docet experientia, non semel contingit, ut motivum ali-quod firmissimum ita appareat intellectui, ut formido de opposito sit quidem physice possibilis, evidenter tamen indicetur esse imprudens et irrationabilis. Iam vero, quoties id contingit, habemus totum id quod in thesis enuntiatione affirmavimus. Nam

I. Deest quidem *evidētia veritatis*, quae ut credibilis manifestatur. Evidētia enim non sinit de opposito formidare, prout in praecedenti thesi docuimus. Atqui in casu, quem consideremus, quamvis dubitari nequeat de credibilitate veritatis, potest tamen formido enasci de hac ipsa veritate.

II. Adest tamen *evidētia credibilitatis*. Nam evidenter elucet formidinem de opposito esse imprudentem, ac proinde motivum esse huiusmodi, ut mereatur firmam adhaesionem. Atqui in hoc sita est evidētia, quam dicunt credibilitatis.

III. Assensus, qui pro exigentia et merito praedicti motivi adhibetur, est proprie *certus*. Etenim ex una parte immititur motivo infallibili; ex alia vero excluditur formido, non quidem *per accidens*, sed *per se*, videlicet propter dignitatem motivi, quod talem exclusionem meretur. Atqui haec duo constituunt certitudinem assensus vere et proprie dictam [223].

IV. Intellectus ad talem assensum adhibendum proximē et directe ex voluntatis imperio determinetur oportet. Intellectus enim, citra voluntatis imperium, non cogitur nisi a veritate evidenti, in quantum est evidens. Atqui in re praesenti veritas, cui adhibetur assensus, est inevidens, quamquam evidens sit eius credibilitas.

Ratio porro est, quia ut supra notavimus cum Card.

percipiunt doctrinam Ecclesiae a Deo esse, quamvis ipsi res ipsas quas Ecclesia docet non videant, puta Deum esse trinum et unum, vel aliquid huiusmodi. (Summa th. 2. 2^{ae} q. 5. a. 2.)

306. *Coroll. II.* — **Generale criterium humanae certitudinis.** — Intellegitur praeterea, qua ratione evidentia dici possit motivum ultimum ac norma generalis humanae certitudinis. Id verum est, modo intellegitur de evidentia, prout complectitur evidentiam tum *veritatis* tum *credibilitatis*, ut declaratum est. Utraque porro tota fluit ex evidentia principiorum communium, quae naturalis rationis lumine per se immotescent [292].

307. *Coroll. III.* — **Evidentiae falsum subesse nequit.** — Intellegitur denique, esse plane impossibile, mentem decipi in iis quae et quatenus evidenter elucent. Si enim id fieret, mens non *per accidens* dumtaxat falleretur, sed *per se*, sequendo videlicet normam veritatis ei a natura praefixam. Consulto autem dixi, falsum minime quidem subesse in rebus huiusmodi, sed *quatenus sunt evidentia*. Non semel enim contingit, aliquid quod est evidens ex

intellectum ad firmum assensum et excludat formidinem imprudentem, seu; ut dici solet, ut imperet assensum firmum intellectus. Habet, inquam, voluntas motivum sufficientissimum ad imperandum firmum assensum in eo ipso quod intellectus ei exhibet dignitatem rationum, quae postulet firmitatem assensus; hoc vero bonum recti ordinis insuper habet coniuncta bona alia ad movendam voluntatem. Voluntas autem manet libera ad imperandum vel non imperandum assensum, quia ab intellectu non ei proponitur consensus ut bonum absolutum clare cognitum. Quod si ergo voluntas inclinat intellectum non ad firmum assensum postulatum a dignitate rationum seu motivi formalis, sed ob bonum aliquod apparendi potius ad negandum assensum; ordo intellectus ad veritatem, ut suum finem, et rectus ordo voluntatis ad bonum violatur levius vel gravius, quando nempe et quantum veritas proposita et motiva manifestantia inducunt officium assentiendi maioris vel minoris gravitatis ac necessitatis. Ex his denovo intellegitur, quod iam supra dixi, firmum assensum respondendum obiectivae dignitati rationum, quamvis libere praestitum, habere nexum necessarium cum veritate atque adeo esse assensum *simpliciter certum*. (Tract. De Divina Traditione et Scriptura, Append. I. 3.)

inconsideratione mentis confundi, ratione alicuius similitudinis, cum eo quod reipsa non est evidens, cui proinde falsum subesse potest. Id porro duobus modis contingit potissimum. Primo quidem, quoties evidentia *consequentiae* confunditur cum evidentia *consequentis*. Sic, qui ex praedicata mente alicui principio mordicus inhaeret, quamvis evidentiae luce destituatur, conclusiones omnes, quae inde per *evidentem consequentiam* deducuntur, haud raro perinde accipit quasi ipsae sint evidentes. Secundo, si quod est *moraliter* vel *physice* evidens [296], unum idemque esse putetur cum eo quod metaphysica gandel evidentia. Sic evidens est, *secundum ordinarium naturae cursum* sub accidentibus sensilibus subesse naturam, cui haec accidentia sunt propria. Quocirca, si ex. gr. infidelis, visa hostia consecrata, ita iudicaret illam esse panem, ut diceret oppositum esse *absolute* impossibile, falleretur quidem sed non in re, quae et quatenus est evidens. Confer Suarez (Metaph. D. 9. sect. 2. n. 8.)

SECTIO VII.

De auctoritate testimonii universe ac generatim.

308. **Argumentum.** — Quid nomine criterii *externi* significetur, et in quo distinguatur ab *interno*, paulo superius declaravimus [285]: est nimirum *alieni testimonii auctoritas, quae fidem mereatur*. Etsi porro tale criterium censi nequit nec unum nec tempore primum humanae certitudinis motivum (Th. VIII), in multis tamen nedum utile, sed plane necessarium est ad nostras cognitiones amplificandas. Quapropter ad complementum doctrinae in praesenti disputatione tradendae, operae pretium erit hac de re diligenter inquirere. Priusquam vero quae et quanta sit, generatim loquendo, huius criterii vis

respectu veritatis assequendae definiamus, paucis more consueto exponemus nonnulla, quae ad intelligentiam terminorum in hac materia videntur opportuna. In sequenti vero sectione specialia documenta trademus, quae in eius usu praecipue sunt attendenda.

309. Testis, eiusque testificatio seu testimonium. — Nomine *testis* generatim venit quicumque aliquid tamquam a se cognovit, alteri quocumque signo manifestat: eius actio, qua sic rem manifestat, *testificatio* seu *testimonium* vocatur. Dixi *tamquam a se cognovit*, propterea quia testis, qua talis, non utcumque cognitionem suam alteri communicat, sed ipsam cognitionem, quam de re habet, suo dicto interponit tamquam motivum, ut fidem sibi conciliet. Testis potest esse vel *immediatus*, vel *mediatus*. Ille est, qui rem quam manifestat per se ipse cognovit: quare, ubi agatur de facto aliquo sensibili, dicitur *oculatus*, vel *de visu*, si illud suis ipse sensibus usurpavit. Testis vero *mediatus* nuncupatur, qui rem quam testatur ab alterius testificatione accipit; unde vocatur etiam *auritus*. Quocirca omne testimonium necessario primitus manare debet ab aliquo teste *immediato*, quemadmodum omnis motus procedere debet ab aliquo immobili. Cum vero humana societas temporum lapsu ac locorum dissociatione minime definitur, sed artissimo vinculo colligenter inter se homines, non obstante quacumque temporis differentia locorumque distantia; propterea necessario requiritur, ut testificatio seu testimonium ope alicuius *instrumenti* sive ad posteros sive ad longinquos dimanet. Haec porro instrumenta tria potissimum numerantur, videlicet *traditio oralis*, *documentum* et *monumentum*. Traditio definitur, *Testium continuata successio memoriam facti non scriptis sed ore transmittentium*. Documentum vero dicitur *testimonium scripto consignatum*: huc pertinet potissimum *historia* sive *facti memoria scriptis consignata*. Monumentum denique intelligitur *opus quodlibet durabile artis ad facti memoriam retinendam*.

310. Testimonii auctoritas. — *Auctoritas*, generatim accepta, est quid morale, pro eo quod tota eius virtus

non exercetur nisi ab agente rationali seu intellectuali, et in subiectum rationale seu intellectuale. Consistit vero in vi quadam obiective movente et quasi ligante nostram voluntatem vel intellectum. Praetermissa ulteriori analysi huius conceptus respectu voluntatis, quod intellectum spectat, dicitur aliquis auctoritatem habere quatenus *dignus est cui fides adhibeatur*. Hanc porro dignitatem nemo habet, nisi quatenus eius testimonium, qua tale, est cum veritate connexum: intellectus enim non est nisi propter veritatem. Deficit autem haec connexio, si testis sit huiusmodi, qui vel fallatur in eo quod dicit, vel fallat. Ergo auctoritas testis, in quantum huiusmodi, eo redit ut ipse talis sit, qui nec fallatur nec fallat. Quidquid proinde formaliter praestat, ut utrumque vel alterutrum in teste habeatur, ad eius auctoritatem in testificando *constitutivae* pertinebit. Atqui huiusmodi est, communiter loquendo, eius *scientia* et *veracitas*, ut patet ex terminis. Dixi, *communiter loquendo*, quia si sit in eo aliqua alia dos seu perfectio, ratione cuius formaliter habeat, ut non decipiatur vel decipiat in testificando, nihil prohibet, quominus haec etiam dos seu perfectio inter constitutiva auctoritatis eiusdem recenseatur, ex. gr. eius *fidelitas* in servandis promissis, voluntatis *constantia* seu *efficacia* et similia. Patet autem, huiusmodi auctoritatem maiorem esse posse vel minorem: dicitur *irrefragabilis*, quando testis talis est, qui non modo in suo testimonio nec fallatur nec fallat, verum etiam nec *possit* falli aut fallere.

311. Quid proprie sit fides secundum completam sui rationem. — *Fidei* nomen multiplicem habet acceptionem. Quandoque nominat actum voluntatis, ac idem valet ac *fiducia*. Ut plurimum vero significat assensum intellectualem innixum auctoritati alicuius testimonii. In hac posteriori acceptione nonnumquam extenditur ad omnem assensum mentis significandum, quia nempe, ut supra notavimus cum S. Augustino [285], in omni iudicio acquiescimus testimonio alicui sive alieni sive proprii intellectus. Generatim tamen hoc nomen usurpatur ad denotandum dumtaxat assensum *invidentem* et quidem innixum

auctoritati *testimonii extrinseci*. Hic porro assensus quandoque cum formidine coniungitur, quandoque vero eam excludit. In priori casu fides est, sed non plena. Quocirca, si fides *secundum complementum sui rationem* spectetur, recte definitur: *Assensus intellectualis, quo credimus vera esse, quae dicuntur, propter testantis auctoritatem.*

Dicitur I. *Assensus intellectualis*. Nam etsi assensus fidei, utpote invidens, a voluntate determinatur, est tamen actus ab intellectu elicitus; respicit enim obiectum sub ratione veri.

Dicitur II. *Quo credimus*. Quid proprie sit *credere*, suo loco exposuimus ex doctrina Angelici [297], et sic fides proprie accepta distinguitur tum a scientia et visione, tum ab opinione.

Dicitur III. *Vera esse, quae dicuntur, propter testantis auctoritatem*. His verbis denotatur tum proprium fidei obiectum, tum propria ratio quae ex parte obiecti movet ad praedictum assensum adhibendum.

312. **Corollaria deducta ex superiori doctrina.** — Ex dictis plura inferuntur, quae licet plus aequo minutiora alicui fortasse videantur, experimento tamen didici, eis non parum luvari, qui rei theologiae operam sunt daturi.

I. In actu fidei duplex est tententia, altera ad obiectum quod creditur, altera ad testimonium cui creditur. Prior tententia, ut exponit S. Thomas (*Summa th. 2. 2^{ae} q. 2. a. 2.*), denotat habitudinem fidei ad suum obiectum materiale, altera vero designat formalem rationem obiecti, quod est sicut *medium propter quod* creditur.

II. Actus, quo *credimus alicui*, ex suo essentiali tendendi modo, est obsequium intellectuale et exercita protestatio de dignitate loquentis. Unde nemo est, qui non ipsa natura dictante putet sibi honorificum, quod ipsi credamus, et e converso iniuriosum, quod ei non credamus.

III. Sedulo distinguere oportet assensum, quo credimus rem testatam, ab assensu praevio, quo admittimus testimonium loquentis eiusque auctoritatem. Nam quando credimus alicui, admittimus quod testificatur propter eius testimonium et auctoritatem; hoc tamen testimonium et

hanc auctoritatem aliunde novimus, et quidem plerumque non credimus, sed experimur vel scimus. Quocirca distinguendum debet motivum intrinsecum unius assensus a motivo intrinseco alterius.

IV. Actus, quo credimus alicui, qui sit proprie eiusmodi, non est per modum conclusionis quae determinatur ab evidentiis praemissarum et consequentiae. *Credere* enim proprie nominat adhaesionem intellectus ad unam partem contradictionis determinati non ex rei evidentiis, sed ex voluntatis imperio. Quapropter assensus qui determinatur unice ab ipsa evidentiis testimonii, non habet proprium tendendi modum, qui invenitur in *assensu creditico*, prout hic distinguitur ab actu scientiae et visionis.

V. Testimonium eiusque auctoritas sunt quidem *ratio credendi*, minime vero obiectum materiale quod per ipsum *credendi actum affirmetur*. Nec mirum hoc videri debet, si quis attente consideret generalem modum operandi intellectus et voluntatis. * Nam, ait Suarez, potest quaelibet ex his facultatibus tendere in aliquod materiale obiectum propter aliud, ut quo, seu ut formale, *etiam si actu non tendat in illam rem, quae est formale obiectum, tanquam in rem seu materiam, circa quam proprie versatur, quae solet dici obiectum quod.....* Probatum primo exemplis: tum in intellectu; nam fidelis assentitur veritatibus fidei nixus divino testimonio et veritati infallibili eius, ut rationi formali, quamvis eo actu, quo credit rem revelatam, non credat vel Deum esse veritatem infallibilem, vel Deum hoc revelasse; idem dicunt dialectici de actu scientiae, qui nititur praemissis, ut rationi assentiendi, quamvis non feratur directe in ipsas praemissas, tanquam in obiectum scitum seu iudicatum per illum actum; tum etiam in actibus voluntatis, ut in amore, quo amatur una res propter aliam, ut propter rationem amandi extrinsecam, qualis est aliquis amor, quo amatur proximus propter Deum; item in pura electione medii propter extrinsecum finem, quae directe non versatur circa finem ipsum volendo, sed tantum in obliquo ipsum respicit tanquam rationem volendi media..... Secundo potest probari ratione. Quia vo-

luntas tendit in suum obiectum, prout propositum per intellectum: sed potest intellectus actu cogitare et proponere unam rem ut amabilem vel honorabilem ratione alterius, ad quam habet habitudinem, non considerando rem illam, quae est terminus talis habitudinis, ut per se amabilem vel honorabilem. (De Incarnat. D. 54. sect. 5.) Confer etiam S. Thomam. (*Summa th.* 1. 2^{ae} q. 8. a. 3., q. 12. a. 4.: Qq. Disp. *Verit.* q. 14. a. 1.)

THESIS XI.

Testimonium aliorum multis in rebus norma est plane necessaria, nedum utilis, quam in iudicando et operando sequamur. Quaedam vero contingunt rerum adiuncta, in quibus eius auctoritas omni maior evadit exceptione, ac proinde plenam fidem omne prudens excludentem dubium merito exposcit.

313. *Probatio I. partis.* — Ratio primae partis facilis est. Sunt enim bene multa quae aliunde scire non possumus, nisi ex aliorum qui ea noverunt testimonio. Et re quidem vera, si sermo sit de iis, quae experientia cognoscuntur, propria cuiusque hominis praesentia ad certa quaedam eaque valde angusta temporum locorumque spatia coarctatur, ac idcirco quaecumque extra hos limites contingunt unicuique sunt plane absentia nec propriae experientiae testimonio accipi queunt. In re vero scientifica, maxima hominum pars inepta est, ut hoc genus veritatum proprio Marte ediscat, ob ingenii videlicet imbecillitatem, vel mediocritatem defectum, vel quia aliis occupationibus detinetur. Praeterea illi etiam, qui in arte aliqua vel scientia excellunt, in aliis tamen bene multis tanquam rudes merito habentur, qui proinde edoceri debent, ut ignorantiam qua laborant a se possint excutere. Quae cum ita sint, necessaria profecto dicenda

est testimonii alieni auctoritas, si necessaria est ea notitia, quam aliter comparare nobis non possumus ac huicemodi auctoritate innixi. Atqui ita certe res habet.

Enim I. Veritates experimentales, citra tale testimonium, plerumque non possent universales evadere. Id enim fit ope inductionis, quae multa supponit non propria, sed aliena experientia nota.

II. Multarum artium scientiarumque notitia ad vitae usuram et ad mores dirigendos est plane necessaria. Qui proinde in huiusmodi artibus vel scientiis non sunt exculsi, talem notitiam aliunde nequeunt sibi comparare nisi fidem adhibendo iis, qui in talibus periti esse agnoscuntur.

III. Ipsa notitia veritatis iam habita plerumque usui esse non posset nisi supponendo aliquod factum, quod unice ex aliorum testimonio dignoscatur. Id perspicuo exemplo ita egregie declarat Augustinus. "Quaero enim, ait, si quod nescitur, credendum non est, quomodo serviant parentibus liberi, eosque mutua pietate diligant, quos parentes suos esse non credant? Non enim ratione ullo pacto sciri potest: sed interposita matris auctoritate de patre creditur; de ipsa vero matre plerumque nec matri, sed obstetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui rari filius potest, aliusque supponi, nonne potest decepta decipere? Credimus tamen, et sine ulla dubitatione credimus, quod scire non posse confitemur. Quis enim non videt, pietatem, nisi ita sit, sanctissimum humani generis vinculum superbissimo scelere violari? Nam qui vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit quos parentes esse crederit, etiamsi non essent? Quis contra non exterminandum iudicaverit, qui veros fortasse parentes minime dilexerit, dum ne falsos diligit metuit? Multa possunt afferri, quibus ostendatur nihil omnino humanae societatis incolume remanere, si nihil credere studuerimus, quod non possumus tenere perceptum." (Lib. *De Utilitate Credendi*, c. 12.) Hinc paulo inferius ita concludit S. Doctor: "Sola est auctoritas, quae commovet stultos, ut ad sapientiam festinent. Quamdiu

intelligere sincera non possumus, auctoritate quidem decipi miserum est, sed certe miserius non moveri. (*loco cit.* c. 16.)

314. *Probatio II. partis.* — Certis enim in rerum adhucis nullum prudens dubium subesse potest, quin testis nec decipiatur nec decipere voluerit. Atqui ex his duobus plenam fidem auctoritatis sibi vindicat.

Ac primo quidem testem in eo quod dicit minime falli, pro certo haberi debet, si nullum impedimentum adfuerit quod errandi occasionem praeberet. Mens enim suapte natura ad veritatem ordinata est, a cuius tramite proinde non deficit, nisi ob aliquod impedimentum. Iam age, haud raro id reipsa haberi citra dubitationem cognosci potest, sive facti, sive testium adiuncta spectentur. Si enim de re agatur perspicua admodum, quae in omnium oculis incurrat, quaeque attentionem multorum excitet, occasio profecto errandi ex hac parte timeri prudenter non potest. Error enim contingit in iis quae obscura sunt. Similiter, si factum narretur non ab uno, sed a multis, iisque diversis aetate, studiis, aliisque conditionibus individuis, ac praesertim si narretur eo tempore, quo alii quorum interest eos refellere possent, in his profecto testium adiunctis suspicio erroris seponenda est. Natura enim deficit in uno vel in altero, non vero in omnibus.

Quod autem, quemadmodum error, ita mendacium a testificatione abfuerit, indubium erit, si liquido constare potest testes nullius utilitatis spe fuisse illectos ad alios decipiendos. Mendacium enim est res de se turpis et indecora, ad quam proinde perpetranda necesse est menti praehucet commodum aliquod sive emolumentum ex tali turpitudine sequenturum. Atqui spes huiusmodi nulla est aliquando. Id imprimis habetur, si testis fuerit vir probus, qui non turpi utilitate, sed honestatis legibus in operando dirigi solet. Deinde si narratio sit eiusmodi, quae non modo nullum emolumentum sit allatura, sed detrimentum potius vel mortem ipsam: praesertim si apud eos fiat, qui facile mendacium detegere possint,

eorumque id maxime intersit. Denique si non unius testimonio res confirmetur, sed multorum, qui diversis et oppositis studiis ferantur, ac propterea nequeant eadem cupiditate ad mendacium permoveri.

315. *Coroll. I.* — **Pondus auctoritatis quoad facta supernaturalia.** — Quod factum aliquod vires naturae excedat, nequit esse ratio, cur auctoritas illud testantium semper et in omnibus rejiciatur. Quod enim factum sit supra naturae vires, puta resurrectio mortui vel sanitas instantanea, non desinit esse sensibile et facile cognitum: immo ipsamet eiusdem supernaturalitas et insolentia attentionem circumstantium valde ciet. Si proinde narretur ab iis, qui sensus habuerint rite dispositos ad facti perceptionem, et de quorum veracitate ambigi nequeat, imprudens sane foret huiusmodi rerum existentiam denegare. Difficultas autem facti supernaturalis spectat quidem ad eius effectiorem, atque etiam ad cognitionem modi, quo fit, non vero ad simplicem eiusdem existentiam percipiendam. Quin immo, ut supra notavimus, difficilior est homines decipi in observatione talium factorum, quam in aliis quae secundum communes naturae leges fiunt. In rebus enim mirabilibus, quaeque raro contingunt, initio dubitare solemus, et post multam inquisitionem assensum adhibemus.

316. *Coroll. II.* — **Auctoritas unici testis.** — Nihil impedit, quominus talia contingant rerum adiuncta, ut unius testimonium veri nominis certitudinem pariat. Quae enim attulimus argumenta, etsi locum habent ut plurimum in multitudine testium, non desinunt tamen haud raro vim habere etiam de unico teste agatur. Fac enim testis, quo de agimus, vir sit eximia plane probitate ac prudentia praevalgens, nulla profecto suspicio de eius veracitate haberi potest. Si praeterea testificetur factum simplex valde, quod in oculis facile incurrat, eiusque valde intersit illud rite percipere, nulla etiam prudens dubitatio moveri potest de ipsius scientia. Potissimum vero id contingit, si rem coram iis confirmet, qui eventui interfutere, quique, cum contradicere facile

possint, silent; tunc enim testis est revera multiplex, tametsi unus videatur, tot nimirum coalescens, quotquot sunt illi qui narranti obistere possent nec obstant.

317. *Coroll. III.* — **Pondus auctoritatis, quae ex conspiratione plurium diversorumque testimonii consurgit, non est merus cumulus probabilitatum.** — Hoc corollarium adiungimus ad solvendam praecipuam objectionem, quae in hac re moveri solet, et cuius solutio ex iis, quae dicta sunt, facile intelligitur. Nam saepenumero contingit, ut factum aliquod a pluribus narretur, qui singulatim ac seorsum sumpti non nisi probabilitatem suppeditant, coniunctim vero plenam fidem merentur. Id autem non ex eo fit, quod certitudo creetur ex mera congerie probabilitatum; id enim est plane impossibile, quippe perinde esset ac intelligentiam enasci ex mera congerie sensuum: sed propterea quia in ipsa testimonii collectione habetur argumentum, quod certos nos reddit testes non esse neque deceptores neque deceptos, et quod extra collectionem non habemus. Tale argumentum est ipsa diversitas conditionum individualium, quibus dividuntur, ac pugna cupiditatum, quibus cientur; inde enim certiores efficiuntur, ut diximus, neque impeditos eos fuisse quominus factum perspectum haberent, neque alicuius communis utilitatis spe permotos fuisse ad mentium.

SECTIO VIII.

Regulae speciales circa aliorum testimonium attendendae.

318. **Argumentum.** — Quae in praecedenti sectione declaravimus, eo spectant, ut aliorum testimonio certi criterii dignitatem adiudicarem. Quocirca universe tantum demonstravimus infallibilem cum veritate connexionem, quae huic testimonio inesse potest. Quoniam vero

huius criterii usus frequentissimus est apud omne hominum genus, et ad vitae rationem pernecessarius, operae pretium erit si magis in particulari enuncietur adiuuncta conditionesque, quibus testimonium alienum communiri debet, ut fidem mereatur. Hae porro pertinent, quae ars critica tradit, quippe quae normas edocet, ut de pondere usque testimoniorum, quaecumque illa sint, certum iudicium feratur. Ne autem Logicae fines transiliamus, summam recensere debemus principia, quibus haec ars regitur, quin ad eorundem minimas applicationes descendamus. Quocirca primo trademus generales regulas, quae testimonium omne universe respiciunt: deinde nonnulla in particulari subiiciemus, quae ad instrumenta pertinent, quibus testificatio aliorum ad posteros extenditur.

319. **Regulae generales criticam spectantes.** — Regulae id genus, seu principia, respiciunt vel rem ipsam quae narratur, vel qualitatem testantis, vel narrationis modum. Ad sequentes commode revocari posse videntur.

1^a REG. — *Res, quae narratur, possibilis sit.* Prout enim vulgatum fert effatum, a non posse ad non esse valet illatio. Quapropter nihil admitti poterit, quod evidenter appareat internam repugnantiam continere. Deinde, nisi finis, tempus, et adiuncta cetera sint eiusmodi, quae credibile faciant miraculum contigisse, expungi debet narratio contra naturae leges: et hoc sensu recte dicitur, *Miracula non praesumuntur, sed probantur.* Denique si de multitudine agatur, reiici etiam debet, quod est contra exploratas leges morales, quae exceptionem quidem patiuntur, sed particularem et raro.

Hae vero diligenter animadverti debet postulari quidem ad prudentem fidem, ut rei impossibilitas evidenter non pateat, sed minime sane praerquiri, ut evidenter ac positive eiusdem possibilitas praenoscat. Quemadmodum enim a non posse ad non esse valet illatio, ita valet etiam ab esse ad posse. Quapropter si testimonio fide digno, divino praesertim, cognoscimus rem esse, eodem testimonio innixi iure credimus, eam possibilem

esse, licet forte ex intrinsicis rei momentis nequeamus iudicare possibilis sit nec ne. Id maxime contingit in mysteriis divinitus revelatis, propterea quia rationis naturalis captum excedunt.

2^a Reg. — *Res testificata perspicua et illustris esse debet*; nimirum eiusmodi ut non modo sit sensibus rite obnoxia, verum etiam talis quae attentionem et diligentiam testium excitaverit. Ratio huius regulae in promptu est; secus enim, ut in ceteris rebus obscuris, error facile subesse poterit. Hinc rei indoles ita dispicienda est, quo clare appareat num sit eiusmodi, ut facile hallucinationi praebeat ansam, aut faveat narrantis praeiudiciis, factioni, commodis, an contra illusionis et blanditiarum periculum satis excludat. Quare maximum pondus habebit auctoritas, si versetur circa factum *publicum*, nimirum quod omnium oculis pateat. Caveas tamen, ne factum ideo reiicias, quod cum praesentibus moribus et opinionibus minime cohaeret. Haec enim temporum mutationibus et decursui maxime sunt obnoxia.

3^a Reg. — *Testis sit ad rem internoscendam idoneus*: nimirum in iis versetur adiunctis, quae deceptionis causas ante expositas [255] satis removeant, praesertim quae ex praeiudiciis, negligentia, et cupiditatum tumultu ortum ducunt. Ex defectu huius conditionis efficitur, ut non raro invenire liceat auctores, qui historiam describunt *a priori*, ut dici solet, facta perverse contorquendo ad proprium finem. Ob eandem causam parum fidei sibi merentur, qui praecipites esse solent in iudicando, et ex imaginatione potius quam ex rationis dictamine ducuntur: nullam vero, qui palam faciunt, se non veritatis amore, sed odio, adulatione, aut alio consimili pravo affectu ad ali- quid testandum adduci. Contra, si testis sit vir probus et ab omni simulationis et mendacii specie abhorrens, id saepe plane sufficit, ut nos certos efficiat, se factum rite perspectum habuisse, cum videlicet factum, quod narrat, est facile cognitum, et ipse asseverat se prudenter diligenterque gessisse in eo observando. Huius rei exemplum praebet Evangelista Joannes in exordio primae suae

epistolae canonicae, ubi sic loquitur. " Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, et manus nostrae contractaverunt de Verbo vitae, quod vidimus et audivimus annuntiamus vobis. "

4^a Reg. — *Testis sit eiusmodi, qui nullius commodi spe, vel nocumendi metu potuerit ad mentendum adduci*. Id constabit ex consideratione conditionum et morum narrantis, ac praeterea ex indole narrationis, si nimirum ebfutura potius sit quam profutura. Huius rei luculentum exemplum habes in Apostolis et Martyribus.

5^a Reg. — *Testes plerumque sint plures et diversi*. Ex hac enim multitudine et diversitate consurgit illa individualium conditionum atque appetitionum pugna, quae communem errorem vel conspirationem in mendacium efficiunt moraliter impossibilem. Ceterum si plures testes ab uno rem acceperunt, eorumdem testimonium non plus habet roboris, quam auctoritas illius, a quo edocti fuere. Dixi *plerumque*: ut enim ante testantis adiuncta, in quibus quoque contingere rerum ac testantis adiuncta, in quibus plena fides merito haberi possit, etiamsi unicus sit testis qui rem enarrat.

6^a Reg. — *Rei narratio minime sit discors ab aliis narrationibus certis, eoque modo fiat, ut videatur solummodo rei testandae gratia fuisse confecta*. Ratio perspicua est. Hinc nulla fides debetur narrationibus humanis, quae contradicerent iis, quae divino testimonio fulciuntur. Parum etiam fidei sibi meretur, qui poetice vel perfunctorie rem enarrat, quique nimiam stili culturam sectatur: plurimam contra, qui simplicis stilo, adiectis circumstantiis loci, temporis, et personarum, eventum tanquam a se visum vel ab aliis diligenter exceptum refert, ut in Evangelis videre licet. Hic vero observa, discordiam unius narrationis ab alia dupliciter haberi posse, nimirum *positive* et *negative*. Primum habetur quotiescumque unum idemque factum ab altera affirmatur, ab altera vero negatur, idque ipsa inspecta rei substantia. Discordia autem negativa riget, cum de uno eodemque facto hi testes loquuntur, illi vero silent, etsi potuerint ac de-

buerint et facti notitiam habere et nulla permoveri causa ad illud reticendum. Ut patet, quando hoc fit, silentium aequivalat positivae negationi. Porro hoc intelligi debet, ut diximus, de discordia, quae vigeat in ipsa *facti substantia*: quae enim circumstantias facti accidentales tantum afficit, saepenumero testificationis auctoritatem, quoad rei substantiam, non enervat, sed corroborat.

320. **Conditiones ac robur traditionis oralis.** — Quo testimonii auctoritas hac via ad posteros transmissa indubiam faciat fidem, hos characteres expostulat, ut sit *continua, ampla, illustris*, atque *uniformis*. Traditio *continua* erit, si ab ultima linea ascendat revera ad ipsum initium situm in testibus facto coaevis: dicetur *ampla*, cum multos testes complectitur in singulis lineis suae seriei: evadet denique *illustris* atque *uniformis*, si sit de facto publico, et testimonia consentiant invicem. Maximum vero robur ei accedit, si facti memoria apud plures gentes vel integram nationem vigeat: si ab istis celebraretur solemnibus ritibus ac ceremoniis, diebus festis ac ludis publicis: si denique in ipsis nominibus urbium, fluminum, montium, et similium, quaedam quasi sui vestigia reliquerit. Patet autem quanta sit vis auctoritatis in traditione talibus adiunctis communita. Impossibilitas enim communis erroris et conspirationis in mendacium, quae haberi solet ex multitudine ac diversitate testium, maxime locum habet in huiusmodi traditione, et in singulis eiusdem seriebus. Praesertim vero notari debet, generationes hominum non ita sibi succedere, ut una repente sublata, altera statim oriatur, sed paulatim ac per gradus quosdam: quo fit ut homines plurium generationum aliquo tempore sint coevis, ac propterea iuvenes qui adoleseunt, edocentur etiam a patribus et avis. Ut igitur haberetur deceptio in traditione, quam consideramus, opus esset, ut communi errore vel mendacio simul deciperentur aut deciperent non modo omnes homines, qui sunt in ultima serie traditionis, sed etiam eos omnes, qui ad praecedentes duas vel tres generationes pertinent. Iam vero in tanta diversitate adiunctorum et

conditionum, quibus tot testes invicem separantur, nequit fieri, ut idem habeatur impedimentum, quod facti notitiam praepediat, vel eadem utilitas, qua nemine reclamante omnes in mendacium conspiraverint.

321. **De authenticia et incorruptione librorum.** — Ut de auctoritate libri alicuius, (idem dicas de ceteris documentis et monumentis), rectum iudicium feratur, oportet ante omnia liquido constet sit nec ne authenticus et incorruptus. Secus ignoretur necesse est, qualis sit is cui fides adhibenda est. Iam age, *authenticus* dicitur liber, si ad illum auctorem atque aetatem pertineat cui adscribitur: secus dicitur *suppositus* vel *spurius*. Erit vero incorruptus, si nihil ei detractum sit nihilque additum: secus dicitur *mutilatus* aut *interpolatus* vel generatim *corruptus*. Omnis porro quaestio in hac re penitus sublata erit, quando codex probatur esse *autographus*; et solummodo locum habet, si non habeantur nisi *codices apographi*. Ut de his iudicium feratur, argumenta suppetunt tum externa tum interna. Externa petuntur ex collatione plurium codicum, praesertim vetustiorum. Si enim hi convenient inter se, magnum iudicium habetur authenticitae et incorruptionis. Quod si dissentiant, vetustiorum testimonium, ceteris paribus, praeferre oportet. Ad externa etiam indicia pertinet traditionis, ac sapientum auctoritas. Quamobrem Augustinus sic egregie disputat *contra Faustum*. * Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aliorumque eiusmodi auctorum libros unde noverunt homines, quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibi met succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliquo adjuvandi studio sive discendi. Unde constat quid cuius sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuavit atque edidit, et inde in alios atque alios continuata nobilitate latiusque firmata ad posteros, etiam usque ad nostra tempora, pervenerunt ita ut interroganti cuius quisque liber sit, non haesitemus quid respondere debeamus?., (Lib. 33. c. 6.) Interna vero iudicia desumuntur ex adiunctis *temporis, stili, do-*

ctrinae, ac *morum* auctoris. Sic si liber aliqua contineat, quae non conveniant tempori, quo ipsum auctor conscripsit, manifestum habetur argumentum suppositionis vel interpolationis, nisi agatur de libro divinitus inspirato. Similiter genuinus existimari non potest liber, cuius stilus discrepet a stilo auctoris in aliis eius certis operibus, nisi conici queat vel stilum de industria fuisse mutatum, quamvis etiam in hoc casu oculatiores identitatem vel diversitatem auctoris discernere soleant. Simile iudicium feratur de libro, cuius doctrina aperte contradicit ei, quam auctor in aliis profitetur: excepi nisi prudenter conici queat auctorem mutasse sententiam, vel si sit eiusmodi, qui facile sibi contradicere solet. Ex moribus denique auctoris sumitur argumentum, ut ei non adiudicetur liber, qui ab eius vita evidenter abhorret. Quare nequit prudenter adscribi viro virtuoso et pio scriptura scurrilitate et impietate scatens.

322. *Scholion*. — Haec sufficiat attingere de arte critica. Unum tamen, coronidis loco, monere oportet, nimirum, ut optime observat Matthaeus Liberatore, praecipua eiusmodi nihil vel parum iuvare, nisi rectitudo naturalis iudicii et mentis sagacia opituletur, animusque a praedictis liber et a pravus affectibus, qui facillime in hac materia potissimum pervertere solent rationis iudicium. (*Instit. Philos. Logica*, in Appendice.) Hinc intollerabilis est abusus quorundam, qui ut critici supra modum rigidi et severi dicantur, omni prudentia, quae verae criticae est mater et magistra, penitus destituuntur. Ad rem Caesar Baldinotti. " Nonnullos quasi morbus quidam corripuit consuetudo, qua obscura praetereunt et difficiliora, in perspicuis ad nauseam immorantur; quod non intelligunt, vitiatum blaterant, expungunt; sua substitunt, et diligentia indocta pleraque depravant. Verendum scilicet est, ne exemplaria, quae multas criticorum manus subierint, minus casta evaserint, minusque sincera. (*De recta humanae mentis institutione*, lib. 4. c. 11. §. 564.)

SECTIO IX.

De sensu naturae communi.

323. **Utrum totius humani generis consensus irrefragabili semper auctoritate fruatur.** — Cum hactenus de auctoritate testium universe egerimus, hic specialem quaestionem huc pertinentem tractabimus. Constat enim, dari in toto hominum genere sententias quasdam communes et uniformes, quae cum ipsis seculis quodammodo inveterare videntur. Non est certe ambigendum hanc auctoritatem semper esse magnam, atque adeo minime licere ab ea recedere, nisi rationes evidentes matureque perpensae nos cogant. Merito tamen quaeritur, num hae rationes aliquando adesse queant, num videlicet consensus istiusmodi tanta fruatur auctoritate, ut nulla facta hypothesis infallibili semper veritate nitatur. Fatemur, id non posse in universum et indiscriminatim ut certum assumi. Nihil enim vetat, quominus in cognitione veritatum quae ad vitae usuram et ad mores dirigendos parum aut nihil pertinent, communis aliqua existat erroris causa, quae in omnium mentes constantem influxum exerceat, atque ita deceptio quaedam universalis habeatur. Tales fuere opiniones de motu solis, de coelis solidis, de antipodum impossibilitate, aliaeque generis eiusdem. Quod si haec iudicia non modo constantia sint et uniformia, verum etiam eiusmodi, ut merito ostendi queat ea nonnisi ex ipso fundo rationalis naturae provenire potuisse, tum certe nulla plane falsitas iis subesse potest. Haec porro sunt iudicia *sensus naturae communis*, de quibus in praesenti agendum.

324. **Conditiones propriae iudiciorum sensus naturae communis.** — Ut haec iudicia talem dignitatem sortiantur, hi characteres requiruntur. Primo quidem moralis universalitas et constantia apud gentes non modo

barbaras, verum etiam cultas, atque ita ut crescente cultura non contabescant, sed firmentur potius, ac magis magisque elucescant. Sunt enim sententiae, quas natura rationalis sponte pronuntiat, non prout in uno alterove individuo, sed generalim prout in toto hominum genere explicatur. Secundo, necesse est minime refragentur alicui principio rationis certo et evidenti, contra postulatur, ut quo magis ad rationis trutinam revocantur, eo magis eorumdem veritas pateat et consolidetur. Impossibile enim est, ut natura rationalis per se feratur in contradictoria. Requiritur denique, ut nulla assignari queat erroris causa unde eorum origo repeti posset, quales sunt ignorantia, sensuum illusio vel illecebrae, et cetera eiusmodi. His enim causis exclusis, nihil remanet nisi natura ipsa rationalis, quae ad haec iudicia ferenda propellitur, tametsi id praestat sine artis praesidio, sed sola vi naturalis ingenii.

THESIS XII.

Vulgatae illae sententiae, quae ad sensum naturae communem merito pertinent, sunt plane infallibiles. Minime vero ex coeco quodam naturae instinctu, sed intelligentia ac ratione proferuntur.

325. *Probatio I. partis.* — Sequitur manifeste ex iis, quae generalim [273] contra scepticos asseruimus. Natura enim rationalis per se fertur in verum, non in falsum. Error proinde causam postulat aliam ab ipsa natura per se spectata. Atqui iudicia, de quibus loquimur, non aliunde quam a puro rationis fonte defluunt, ut patet ex conditionibus supra recensitis. Ergo in certissimorum numero haberi debent. Nec refert, quod sponte naturae etiam sine artis cultura dicentur. Praeter enim scientificam, adest etiam naturalis certitudo [225], quae non minus quam prior hoc nomen sibi vindicat vere et

proprie. Hoc solum inde recte consequitur, communem hanc persuasionem non se protendere ad remotiones conclusiones, quae ex naturalibus principiis derivantur, sed ad primitivas solummodo normas, quibus vitae ratio, tum intellectualis, tum moralis, tum socialis instituitur et conservatur: quarum proinde cognitio singulis hominibus a natura praesto est, ut quae non deest in necessariis.

326. *Probatio II. partis.* — Addimus hoc, ut excludamus quorundam opinionem valde perniciosam, qui ex Reidii mente sensus naturae communis nomine intelligunt vim quamdam coecam ab intelligentia et ratione diversam, quae propterea in haec iudicia prorumpat instinctu quodam ad ea proferenda ab ipsa natura determinata, quin sufficientem aliquam rationem, quae in obiecto sit, contineatur. Excludimus porro hanc sententiam generali illa ratione, qua pluries utitur S. Thomas, praesertim (*Summa th.* 1. p. q. 79. a. 11.). Non est distinctio facultatum, ubi non est distinctio formalium obiectorum, ad quae primo et per se attingenda referuntur. Intellectus autem primo et per se respicit obiectum sub ratione veri, quod profecto contingit in omni iudicio. Ergo facultas, quae haec iudicia proferuntur, nequit esse ab intellectu distincta. Id autem fieret, si haec iudicia neque ad intelligentiam neque ad rationem referri possent, quatenus eorumdem veritas neque per se pateret, neque aliunde ratiocinando derivaretur. Praeterea hoc manifestum incommodum habetur in tali opinandi modo, ut videlicet in medium inducantur iudicia quaedam, quae ex una parte dicuntur proficisci ex ipso fundo naturae rationalis, et ex alia sunt prorsus irrationalia, ut quae nulla sufficienti ratione, quae in obiecto sit, nitantur: quod profecto contradictionem implicat.

Neque obstat, quod iudicia eiusmodi difficiliora quaedam videantur, quam quae a rudibus ratiocinando deduci possunt. Difficultas enim haec, si bene res perpendatur, non habetur in rudi illa et confusa veritatis perceptione, quae vulgarem certitudinem constituit, sed in expolitori et reflexa consideratione, quae sapientum propria est, tum

etiam in eiusdem explicatione, qua eam aliis enucleamus. Iam vero, quae ad sensum naturae communem spectat, est prior illa tantum et vulgaris cognitio, in qua proinde natura nemini deest, non vero posterior, quae, cum non sit absolute in omnibus requisita, arte et disciplina comparatur. Est praeterea, hac in re praesertim, prae oculis habenda specialis providentia, quam Deus habet de creaturis rationalibus prae irrationalibus. Ad hanc porro providentiam pertinent specialia auxilia, quibus mens humana iuvatur, ne deerret in cognitione harum veritatum; sunt enim, ut diximus, ad vitam aeternam et ad mores dirigendos omnino necessariae. Atque inde etiam fit, ut ab ipsis exordiis humani generis positiva etiam revelatio a Deo confirmatae fuerint, cuius primitivae revelationis reliquiae, quamvis obscuratae et erroribus admixtae, apud ethnicos etiam populos servatae sunt (1).

327. *Corollarium.* — Ex dictis facile intelligitur duplici ratione sensum naturae communem ad certitudi-

(1) Egregie omnino Taparellius hanc difficultatem tractat ac dissolvit respectu iudiciorum, quae in re morali facillime feruntur etiam a rudibus. 4^a La prontezza, ail, ne' giudizi morali ancor negl'idioti se fosse in tutto, quale certuni la credono, dimostrerebbe non già che sia diversa la facoltà, ma che ella è più portata a produr questi che altri giudizi. E così è veramente fino ad un certo segno: conciossiachè la morale essendo all'uomo più necessaria che gli alimenti, egli ebbe dalla provvida man creatrice al retto giudizio morale un impulso spontaneo ed urgente: e veggonsi tuttodì persone inette a specolare metafisicamente, attissime ad operare ed anche a specolare praticamente. Ma vi sono molte altre ragioni, che ci spiegano viengno questa celerità de' giudizi morali. E in 1^o luogo vuolsi distinguere i primi principii dalle conseguenze, le conseguenze prossime dalle remote. Si vedrà che in morale, come in metafisica sono facili a tutti i primi principii, difficili le deduzioni: infatti quanti sono fra i moralisti in certi punti i dispareri! 2^o Ciò non ostante anche l'idioti sa ben presto a qual partito appigliarsi. Sì, ma perchè? forse perchè decide la questione complicata? non già. Egli si appiglia a qualche principio generale, a qualche dettame riflesso, a qualche risoluzione eroica, e tronca il nodo gordiano, ed ecco la seconda ragione perchè il giudizio morale si rende prontissimo. 3^o Di più la pratica in tali materie è continua; or qual celerità non

nem concurrere, scilicet ut *medium* cognoscendi, et ut *motivum*. Si enim spectetur, prout in singulis invenitur, non est alia facultas ab intellectu, ut nempe sponte sua explicatur sine artis praesidio sed solius naturae ductu. Hoc modo proinde concurret ad certitudinem eadem plane ratio ac naturales cognoscendi facultates, videlicet ut *medium* gignendae certitudinis [274]. Sin vero consideretur ut *motivum* seu *argumentum*, ad quod non raro appellamus ad uberiorem confirmationem veritatis, quam tuemur, tunc profecto se habet per modum *criterii* seu *normae* secundum quam iudicium proferimus [283]. Ceterum ex dictis manifestum est, minime nos egere auctoritate communis naturae sensus hoc posteriori modo adhibiti, quo ratas certasque habeamus veritates, quae ad ipsum referuntur. Inservit enim, quasi *argumentum* externum et indirectum, ut ulterius confirmetur, et repugnantes ad *verecundiam* adducantur.

si acquista coll'abito in qualsivoglia anche astratta operazione! 4^a La celerità dell'operare aumentasi in ragione dell'importanza dell'affare; dunque un error retto, che nelle materie morali mette somma importanza, acquistasi somma celerità. 5^a L'autorità abbrevia in ogni scienza le vie: or quante volte i giudizi morali si appoggiano in gran parte sull'autorità, di cui si apprende confusamente, ma non esplicitamente la rettitudine! 6^a Il difetto d'istruzione e di specolazione, che diminuisce in parte la facoltà di conoscere le relazioni, diminuisce però nel tempo stesso certe difficoltà, che nascono dal troppo assottigliare specolando, e dall'orgoglio e da altri vizii, che pel molto ingegno vengono talvolta fomentati. 7^a Finalmente non può negarsi, che ne' giudizi morali hanno gran parte non di rado la immaginazione e le passioni ben addestrate per lungo esercizio: e benchè prevenzano il giudizio attuale di ragione, pure ne secondano per abituale dipendenza gl'impulsi. Or queste facoltà essendo rapide ne' loro movimenti perchè limitate ad oggetti particolari e non libere nel loro operare, agevolano alla ragione i giudizi, alla volontà le risoluzioni; e quante volte s'imprenderà pel loro impeto un'azione eroica, che a sangue freddo avria atterrita la ragione e la volontà! Per queste ed altre tali ragioni concludo, che la celerità de' giudizi morali non prova la necessità di una facoltà distinta dalla intelligenza ragionativa, a cui si appartiene la cognizione di ogni vero. (Saggio teoretico di diritto naturale, Diss. I. c. 4. n. 81 e segg.)